

SCRIPTA

Numéro Scripta : 3981

Auteur(s) : Pontoise, Saint-Mellon (abbaye, abbé)

Bénéficiaire(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1195, avril

Lieu d'émission : Vernon

Action juridique : notification

Langue du texte : latin

Analyse

L'abbé et le chapitre de Saint-Mellon de Pontoise font savoir qu'ils s'associent à Philippe [II], roi de France, pour construire un village nommé Villeneuve dans la forêt d'Hérouville.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Harde (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 1056, p. 276.

Dissertation critique

Avril 1195 ou 1196 (nouveau style) : Pâques tombe le 2 avril en 1195 et le 21 avril en 1196.

Texte établi d'après a

Ego Henricus, abbas, et totum Beati Mellonis Pontisarenensis capitulum, notum facimus universis, presentibus pariter et futuris, quod nos colligimus dominum nostrum Ph., illustrem regem Francorum, in boscis ecclesie nostre de Henoutvilla, ad villam ibi construendam, nomine scilicet Villam novam. Associamus autem ibidem dominum regem tam in bosco quam in plano et in aquis, ut medietatem per omnia exinde percipiat omnium proventuum qui provenient, tam ex redditibus quam ex justicia sive magna sive minima, et ex omnibus aliis rebus nostris quas ibi sumus habituri, exceptis altari et decima, que remanent ecclesie Sancti Mellonis. Donatio autem ecclesie de prefata villa erit abbatis et capituli Sancti Mellonis. Dominus autem rex non poterit hec in quibus eum per hanc cartam associamus extra manum suam propriam mittere, set successores ejus reges Francorum semper hec in manibus suis tenebunt. In hac villa non recipietur aliquis de propriis hospitibus nostris, qui in terra nostra propria sit alibi manens. Dominus rex non faciet in villa ista communiam. Prepositus qui preerit huic ville fidelitatem tam domino regi quam nobis faciet, quotiens mutabitur, de jure utriusque partis fideliter conservando. Quia vero Petrus de Tria et Johannes de Monchevrel dicebant se jus habere in griagio hujus nemoris, et omne jus illud domino regi et nobis omnino quittaverunt, de assensu domini regis et nostro, Petro concessum est quod in prefata Villanova non recipientur ad manendum aliqui ex hominibus de Fresnis, neque homines proprii dicti Petri manentes apud Halleincort, neque sui proprii homines manentes apud Aimbouviler, neque homines de feodo suo manentes apud Eufai. Johanni vero de Monchevrel, facta quittance, concessum est quod in prefata Villanova non recipientur ad manendum homines sui proprii de parrochia de Fresneaus, neque homines sui proprii manentes in Valle Dompne Petre, neque homines sui proprii manentes in parrochia de Monte Hellant, neque homines manentes in eo quod

Anculphus, frater suus, tenet ab eo apud Aimbouviler. Quod ut perpetuum robur obtineat, presens scriptum sigillis nostris confirmamus. Actum apud Vernonem anno ab incarnatione Domini M° C° nonagesimo quinto, mense aprili.